

SPECIMEN HISTORICUM

DE

VETERE CARELLIA

ANTE OCCUPATIONEM SVECANAM;

QUOD

CONS. AMPL. FAC. PHILOS. ABOËNS.

PUBLICO EXAMENI MODESTE SUBJICIUNT

AUCTOR

GABRIEL REIN,

Historiarum Docens & Aman. ad Bibl. Acad. E. O.

&

RESPONDENS

GUSTAVUS JOANNES MECHELIN,

*Stip. Arckenholz.
Wiburgense.*


Sectionis primæ

P. III.

In Auditorio Juridico die 7 Decembris 1825.

h. a. m. c.

ABOÆ, Ex Officina Typographica FRENCKELLIANA.



§. VI.

Interna apud Carelios qualis fuerit rerum administrationis ob monumentorum defectum difficile est explicatu; a cæteris Fennis licet quibusdam in rebus decesserint, nunquam cum Russis ita apparent uniti, ut regiminis formam in provinciis eorum obtinentem terra Carelica sibi induerit. In ipsis suis primordiis civitatis foederatae speciem præbet imperium Russicum; gentes nimis & nationes alia in aliam nullum exercuerunt principatum, sed rerum internarum curam quæque sibi integrum servaverat 1). Progressu temporum constitutio hæcce originaria certe in pluribus populis est permutata, Carelii tamen magistratui a majoribus recepto, & inde rerum statui cæterorum Fennorum moribus convenienti, addicti permansisse videntur. Majores scilicet nostri ea ætate in conditione maxime naturali, nulli communi imperio obnoxii, seniorum & patrumfamilias auctoritati obtemperantes, vixerunt, ita tamen ut qui singula incolebant territoria, foedere in communem tam administrationem quam defensionem conjuncti, statim conventibus de rebus suis publicis consultarent 2). Ejusmodi instituta apud nostrates floruisse, vocabula indigena Rihla & Rihlafunta probant, quorum prius foedus a pluribus pagis initum, & posterius complexum pagorum consociatorum significat 3). Sententiam hancce ulterius confirmat exemplum Estonum, qui proximi gentis nostræ sunt consanguinei, & apud quos provinciæ communibus legibus conjunctæ, simili nomine Rilegunde vel Rylegunde significatae obveniunt 4). Concilia, voce indigena Rårājåt dicta, in quibus de publicis deliberarent negotiis, num statim temporibus & certis locis habita sint, haud constat; conjicias tamen loca & delubra sacræ ritibus deputata, & tempora cultu divino sacrata, consiliis quoque in communem salutem caprandis fuisse destinata. Nulla est causa cur Carelios his

in rebus a popularium moribus sejunctos arbitraremur: hæcce namque constitutionis forma eo minus displicere potuit Russis vel ab iis prohiberi, cum Novgorodiæ quoque, Kioviæ & aliis ab ipsis principibus administratis locis populi conventus sub nomine вѣче peragerentur 5), omninoque minus internas gentium subditarum res sibi curæ haberent, verum summam obedientiæ in soluto tributo ponerent Russi 6). Tale nobis prodit exemplum Livonia post mortem WOLODIM'RI MAGNI seditiona & a JAROSLAVO anno 1030 ad submissionem redacta, cui rerum suarum administratio secundum mores a patribus receptos integra relicta est 7). Ejusmodi magistratus formam non tamen nimis laxe & solute Carelios nostros conjunxisse credas, cum consideres, non solum ad proprios defendendos focos, verum etiam ad longinquiores expeditiones bellicas, in Russiam, Estoniam & sic porro susceptas, eosdem reperiri associatos. Advocatis ad tuerendam quietem & securitatem publicam principibus Warægicis tributum solvebant, in communem omnium salutem adhibendum; quum autem RURICUS & fratres ejus regiones a Carelia remotiores habitandas eligerent, moxque Novgorodia sola caput regni exsisteret, tributarii facti sunt nostrates primum quidem ipsi principi, deinde autem genti quoque Slavo-Ruthenicae; & ubi tandem Novgorodia magna, privilegiis & juribus a JAROSLAVO I:mo adeptis, iisdemque inviolate servatis, mercatura sua florenti potentiam & liberatem a magnis principibus minus circumscriptas nacta erat, in subditis, gloriose hujus reipublicæ territoriorum incolentibus, apparent quoque Carelii 8). Gubernatoris tamen Novgorodiensis iisdem præpositi & terram eorum incolentis, quales e. c. in Staraja Russa, Ladoga, Torschok & aliis locis, sub nomine Посадникъ vel Намѣстникъ occurrunt 9), nullum obvenit exemplum. Anno quidem 1307, condito scilicet jam

jam a Svecis Wiburgo, ipsa tamen circumiacente regione nondum, composita pace, iisdem tradita, mentio fit cuiusdam BORISS, cui propter merita quædam, uti videatur, in rem publicam notabilia, redditus Careliae concesi erant, quemque repetundarum accusabant apud Magnum Principem MICHAËLEM JAROSLAVIDEM Novgorodienenses, perhibentes Carelios ab eo spoliatos, & eo redactos esse, ut apud Germanos (Svecos) refugium quærerent 10). Num præterea judicialis vel alia cæteroquin auctoritas eidem demandata fuerit, e loco allato haud apparet, quare, præsertim cum nullibi aliter mentio fiat præfecti Carelici, summam ejus potestatem in tributi ad proprios usus exactione positam fuisse putamus. Nullum plerumque magistratum Novgorodensem in Carelia habitasse, e defectu quoque defensoris contra invadentes Svecos colligi potest; ubi scilicet Torkillus Canuti, ibi appellens, Wiburgum condidit, nulla vi statim est prohibitus, verum postero demum anno e Russia exercitus ad arcendos hostes est emislus; si namque in terra jam confessus fuerit prætor Russicus, sine dubio comites suos, vicinosque incolas ad advenas depellendos convocaslet, neque historia eam rem silentio transiisset. Aliqua tamen apud nostrates valuit auctoritate Ingriae procurator, quod e pacto Novgorodensium cum Gotlandiæ mercatoribus jam laudato statuere licet. Audiunt ibi scilicet verba: "Si furtæ commissa fuerint inter Berko & Enga, intimabitur Oldermannus de Engen, qui veniet infra duos dies, & si infra duos dies non venerit, Oldermannus illi, qui furem reprehenderunt, secundum quantitatatem furti de eo judicabunt" 11). BERKO est hodierna parœcia Björkfö, Fennorum Rovistwo, in annalibus Russicis Березовой островъ appellata & libonotum versus a Wiburgo in mari ita 12); e qua statione igitur mercatores peregrinantes tutelæ Russorum erant commendati. Sed hæc Oldermannus Engensis in Care.

Carelios quoque auctoritas, uti probabile videtur, non nisi circa negotia valebat, quæ iis cum exteris intercederent mercatoribus, quo commercium cum hisce tuto exerceri posset; & forsitan ei quoque, utpote proximo Novgorodiensium præsidi, summa tributorum exactio commissa erat, quo consilio quotannis aliquis emitte potuit vectigalium collector, quales tempore WOLODIMIRI MAGNI in Estoniam 13), & anno 1071 a Principe SVETOSLAVO in Beloozero 14) ablegatos reperimus. Quibusnam in rebus tributum illud (Апракса, оброкъ) præcis Careliis impositum constiterit, in rerum antiquarum monumentis nusquam expresse significatur; notum tamen est, primos Warægos nationibus subjugatis tributi loco pelles ferinas solvendas imperasæ 15), & incolas Russiæ borealis, nominatim Jugros pellibus imprimis vectigalia debita pendisse 16); verisimile igitur est, etiam Carelios iisdem in publicum usum subministrandis fuisse obstrictos, præcipue cum primis imperii Svecani temporibus salaryum quoque sacerdotibus debitum hisce rebus maxime solendum statueretur 17). Pelles nimirum, ut apud gentes Aquilonares in universum, ita & apud maiores nostros commune quoddam mercium commutandarum pretium vetusto tempore effecisse videntur 18), unde Lapponum Naha (idem vocabulum quod apud nos pecuniam significat), proprie pellem denotat 19). Quin etiam sub initium seculi XVI adhuc tam rarus erat pecuniæ usus in aquilonariis Sveciæ & Fenniæ partibus, ut commercia rerum commutatione plerumque peragerentur 20). Præter solutionem tributi, officium quoque Careliis cum cæteris Russiæ incolis commune, auxiliariis scilicet copiis dominis suis succurrenti 21), subditorum iis dedit conditionem; haud raro enim in annalibus nostrati ad expeditiones bellicas convocatorum, vel in iisdem participum fit mentio, ubi scilicet vel hostium impetus tam ma-

magnam exegit bellatorum copiam, ut ordinarii Principum milites (aulici, nobiles, архимандриты) non sufficerent, vel ubi Novgorodienses seditionis ipsis Principibus arma inferre in animo habuerunt. Res hasce ulterius explicandi infra præbebitur ansa, ubi bellica Careliorum facta exponere conabimur.

- 1) Unde in CHRON. Plescov. hæc occurrunt verba: Новгородцы свою власть имаху, а Кривичи свою, а Чюдь своими владѣху, и дань даваху Варягомъ. Cfr. KARAMSIN Ч. I. прим. 275. Eiusmodi præ se tulisse quoque videtur incertam famam anonymous Chronicus Fennicus Author, dicens: "Postea Russis ita uniti fuere Finni, ut penes quem summa imp'rii fuerit, difficulter dici posset." NETTELBL. Schwed. Biblioth. Erst. Stück. S. 113.
- 2) PORTH. ad Juust. p. 61 & 64.
- 3) Rev. RENVALL in Lexico suo Finnico, sumptibus III. Imperii Russici Cancellarii, Comitis RUMENZOFF edito, quod, quantum hucusque in lucem prodiit, consulere, benigne nobis concessum erat, hæc habet: "Rihla I) orig. sponsione mutua confirmata societas plurium pagorum ad communem defensionem contra extraneos & ad justitiam internam administrandam, unde Rihla:lunga quondam comp. plexus pagorum consociatorum &c."
- 4) Origines Livoniæ ed. Gruber p. 169: "Episcopus Hermannus locavit in eo (castro Odempe) viros nobiles & milites honestos — — donans unicuique eorum provinciam, id est, Kylegundam — — ut Estones, subditos suos, fidem docerent Christianam." Cfr. ibid p. 182 & PORTH. ad Juust. p. 132 & 143 sq.
- 5) KARAMSIN I, спр. 235, прим. 495.

- 6) Lehrberg üb. d. Zem. in l. c. p. 122 sq: "Unbekannt mit den
 "Maximen italienischer Politik drangen unsere (die Russischen)
 "Großfürsten überwundenen Völkerstaaten keine reue Verfassung,
 "keine fremden Gesetze, nicht einmal ihre Glaubenslehre auf; ge-
 "nug, wenn die Oberherrschaft anerkannt, die Feindseligkeiten einge-
 "stellt, und der Friedens halber, auferlegte Tribut richtig abge-
 "tragen wurde."
- 7) KARAMSIN Испр. Росс. Ч II, спр. 24 sq.
- 8) "И съвокупишаась вНовгородъ вся власть Нового-
 "родская, Плесковичи, и Ладожане, и Корѣла, и
 "Ижера, и Вожане" &c. I Нвгр. спр. 554; & ibid.
 спр. 580: "и соидеся вся волость Новгородская,
 "и Плесковичи, и Ладожане, Рушане, Корѣла, Ижера,
 "Вожанъ." Cfr. II Нвгр. 159 & 172. Secundum exem-
 plum Cel. LEHRBERG Chronicon Novgorodicum, quod re-
 peritur typis excusum in Tomo II operis Продолжение
 древней Россійской Библіоѳеки (СПГ. 1:86 sqq. 8:o)
 inscripti, Novgorodicum primum, annales vero Mosquæ
 anno 1781 4:o editos Novgorodicum secundum appellabi-
 mus. Celebratos hosce, æque ac eleclam copiam aliorum
 annualium, illustrandæ antiquæ Historiæ Russicæ & Septen-
 trionali in universum egregie inservientium, Bibliotheca
 nostra Academica debet munificentia & liberalitati nun-
 quam satis laudatæ Illustrissimi Imperii Russici Cancellarii
 D:ni Comitis RUMÆNZOFF, cui anno currenti eosdem dono
 nobis benigne transmittere placuit; quare gratissima agno-
 scimus mente, Summo Literarum Patrono atque Месæ.
 nati nosmet debere facultatem ipsos fontes consulendi.
- 9) KALAIOWITSCH О Посадникахъ Новгородскихъ,
 спр. 31.
- 10) "А Бориса Костянтиновича кърмиль Новгородъ
 "Корелою, и онъ Корелу всю истеряль и за Нем-
 "цы (Шведы) загониль": literæ habent antiquæ in
 Archivo Novgorodiensi servatæ, teste Nob. Karamsin. Ч.
 IV, спр. 172 и прим. 213.

- 11) Vid. DREYERI Specim. juris publ. Lubec. p. 178. Audient quoque verba ejusdem pacti p. 177: "Cum mercatores Theutonici vel Gotenses veniunt in Berko in regno regis Nogardiensium & quidquid eis in dizione Nogardienum injurie irrogatum fuerit, super hoc Nogardienses respondebunt." KARAMS. Ч. III, спр. 244 & Lehrberg ub. e. nowger. gothl. Urkunde in l. c. p. 259.
- 12) I Нвгр. спр. 617, & Lehrb. §. 257.
- 13) Heimskringla ed. PERINGSK. I. 197.
- 14) Софійскій Времяникъ, изд. П. Спироевъ. Ч. I, спр. 164 и I. Нвгр. спр. 360.
- 15) Schloß. Nest. II, §. 153 f. NEST. АВ: счеловѣка по бѣлѣ веверицѣ.
- 16) KARAMS. III, спр. 87 и 207, прим. 88. Ewers Gesch. d. Russ. §. 118.
- 17) PORTH. ad Juust. p. 315, nota 243: Och i första Begynnelsen när Christendom kom til Finland, gjordes eth grossin aff hvarjo bogho. In Vihang til 1785 års Åbo Lidng. s. 119 de decimis Episcopo tribuendis, e conventione cum Careliis inita, & anno 1331 a Rege confirmata, afferuntur: at de årligen skulle erlägga af hvar röt i Karelska Håradet twåne goda skinn eller Paite (bålg). Cfr. ib. p. 122. PORTH. ad Juust. p. 230, ejusdq. Syll. Monum. p. 62 sqq., 68 sq.
- 18) OLAI MAGNI Historia de gentibus Septentrionalibus, Lib. VI, cap. XVI.
- 19) LINDAHLS & OEHRLINGS Lex. Lapp. RENVALL in Lex. suo Finnico hæc habet: Nahä, orig. res quævis mercium pretio inserviens e. c. pellis, metalla &c. inde hodie pecunia, numus.

20) OL. MAGN. IV. v.

21) KARAMS. Истп. Росс III, стр. 203 — 4: Въ чрезвычайныхъ случаяхъ вооружились простые граждане или сельские жители. Ewers Gesch. d. Russ. S. 29.

§. VII.

Paucis jam tetigimus mercaturam inter Russos & plures istas gentes, quæ mare Balticum incolebant, medio ævo factam, heic ulterius ut ad eandem revertamur, jubet instituti nostri ratio. Ut jam attulimus, a SNORRONE & ADAMO BREMENSI ejus sit mentio, quatenus scilicet e Scandinavia & incolis urbium Slavicæ gentis, in oris Germaniæ borealibus sitis, per Russiam exerceretur. Deinde eam sibi vindicabant Gotlandenses & mercatores Teutonici, qui Wisbyæ sedes posuerant, quibuscum conjunctæ, orto paullatim foedere sic dicto Hanseatico, plures Germaniæ civitates ejusdem participes evaserunt 1). Tanti vero æstimabatur negotiatio hæcce, ut copia mercium Novgorodiarum congestarum, depositorum quasi commune efficeret stationibus in aliis terris obvenientibus, aut fontem, unde rivatim quasi profluerent uberrima illa lucri quæstusque incitamenta 2). Non autem solum ab aliis inferri passi sunt Russi mercimonia, verum ipsi quoque ad exteris eorum conquirendorum causa itinera suscepérunt. Sic jam anno 1157 naves eorum satis numerosæ apparent Slesvici 3) & anno 1187 privilegio imperatoris FRIDERICI BARBAROSSÆ Lubecensibus dato, Ruthenis quoque ibi appellendi conceditur facultas 4). Variæ fuerunt viæ, quibus in Russiam adportarentur merces; cum vero Novgorodia diu potissimum harum regionum permanserit emporium, iter quoque facillime eo deducens per sinum Fennicum, Nevam fluvium & sic porro, maxime erat frequentatum. Negotiatoribus autem, hac ex parte

parte Russiam petentibus, insula Betuletum (Björkfö) stationem præbuit commodam 5), unde per totum litus cum accolis mercaturam facere licuit, quare in pacto sæpius laudato Novgorodensium cum Gotlandensibus occurrit: "cum naves mercatorum sunt in Nu, secundum antiquam iustitiam libere possunt negotiari cum Carelis Et Engis" 6). Igitur jam temporibus seculum XIII præcedentibus, non defuisset majoribus nostris, hæc loca tenebantibus, occasio, varias sibi res acquirendi, quibus conditio humana sublevatur & jucundior redditur, nisi paupertas terræ facultates iis negasset, & mores rudiores vitæ oblectamenta peregrina & pretiosa respuisserint. Itaque in necessitatibus tantummodo ab hospitibus sibi comparandis eos substitisse crediderim, neque quidquam pensi habuisse e. gr. pannorum e Flandria & Anglia Russiam allatorum 7), qui ob subtilitatem majoris erant pretii; linteum tamen Germanicum, Saxon palting ut dicunt, acceptum fuisse videtur nostratibus 8). Manca admodum est notitia antiqui commercii Russici, & præcipue quod genera mercium eo advectarum attinet; scimus tamen etiam salem maritimum ab Hanseaticis, per terras Boream & Orientem versus sitas, esse venditum 9), quem certe neque Carelii respuerunt. Eundem & serioribus temporibus gratissimam Careliis adlatam, fuisse mercem, inde colligas, quod Wiburgo, urbi scilicet unde eam plerumque acquisiverunt, nomen oppidi salini indiderint 10). Statui eorum & vitæ generi, venatui & bello magnum in modum intento, instrumenta quoque bellica maximi erant momenti; quamquam enim ferri elaborandi haud permanserant imperiti, gladiisque Fennici in Sagis Islandicis erant celebrati 11), meridionalium tamen populorum ferramenta sine dubio perfectioris fuerunt fabricæ. Arma revera ad eos accessisse satis produnt antiquitatis monumenta: Carelii namque quum vel soli vel

cum aliis associati vicinos, fidei Catholicae addictos, saepe aggredierentur, armisque ab exteris acquisitis maxima Svecis eorumque in Fennia subditis afficerent damna, ægerrime ferebant hocce commercium doctrinæ Divinæ nuncii, neque querelas suas gravissimas ad summos rerum humanarum in terra arbitros, Pontifices scilicet maximos, proferre omiserunt. Et miranda sane est sollicitudo, qua "novellæ huicce Christianismi plantacioni", in abdita Septentrione institutæ, succurrere & paganorum "tribulationes & presuras a fidelibus" removere studuerunt papæ. Unus eorum equitibus cruciferis in Livonia injungit, ut Ecclesiæ Finlandensi suppetrias ferant 12), alter verbum crucis contra "Carialos & alios vicinos paganos" prædicari jubet 13), plures denique "per censuram ecclesiasticam" prohibit ne mercimonia cum hostibus Christi exerceantur 14). E bullis heic allatis papalibus simul apparet, non solum ferrum & arma, verum etiam "victualia, navigia, lignamina & equos" paganis adportata fuisse ab hospitibus. In nutrimentis frumentum impri-
mis intelligas; Carelii namque, uti jam nomen eorum, e voce Fennica karja, grex, ortum, significat 15), præ cæteris Fennis re pecuaria insignes, eidemque magis quam agriculturæ intenti fuisse videntur, quare in terra sua, partim paludibus & lacubus, partim rupibus & lapidibus obducta, pâne certe haud raro carebant, & licet sæpissime e Russia huic inopiaz subvenire licuerit. evenit ta-
men interdum, ut boreales ejusdem imperii regiones, ipsa Magna Novgorodia haud excepta, penuria frumenti premerentur, quibus occasionibus iis quoque mercatores exteri alimentis succurrerunt 16). Equos vero adlatos, quorum etiam fit mentio, vix Carelios tangere putaverim: nostri scilicet singulari cura bestias hasce foventes, apud vicinos, ut nunc quoque, inde erant notati, quare partem terræ eorum Annalista Novgorodicus equarum fre-

frequentem (кобылицьская Коръла) appellat 17); unde Carelia hisce animalibus abundasse, neque iisdem ex aliis terris adferendis indiguisse videtur. Dubium quoque arbitramur, num lignaminibus, i. e. ut interpretatur Cel. PORTHAN, lignis ad fabricandas naves idoneis 18) eos instruere debuerint Germani: Carelia enim quæ hucusque, licet tantum in regionibus, quæ a mari sunt remotiores, trabium copiam servavit, tunc haud facile iis carere potuit, quare etiam hospitibus, imperium Russicum intrantibus, i. e. inde "*a Berko*" permisum erat "*libere uti silva secando*" 19). Præterea non Russiam advehebantur proventus silvarici, verum e contrario in mercibus inde & ex toto Aquilone exportatis apparent lignamina navium ædificationi inservitura 20). Fortan igitur ad Papam relatum erat paganos a mercatoribus materia rei maritimæ idonea, v. c. ancoris, rudentibus &c sustentari, quod vero in Curia Romana, ubi manca admodum erat notitia terrarum abditarum, de ligno quoque intellectum est; illud igitur in rebus e Carelia evectis numerandum esse putamus. Catalogus mercium e Svecia seculis XIV & XV (quo tempore scilicet tota nostra patria eidem jam paruit) ab Hanseaticis elatarum, quem exhibit Cel. SARTORIUS 21) varias continet res, quibus nostra quoque abundavit Carelia; neque igitur in errorem incidere vereamur, ubi contendimus nostrates quibusdam earum jam seculis XII & XII necessaria, teste historia sibi adducta, mercimonia a mercatoribus præternavigantibus commutasse. Primarium in hisce obtinent locum ferarum pelles, in quibus, præter nunc quoque apud nos saepe obvenientes, ursorum scilicet, luporum, vulpium, martium, sciurorum &c. adhuc OLAI MAGNI tempore abundantanter repertiebantur castorinæ 22). Vitulos marinos nostro adhuc ævo in sinu Fenaico & lacubus Ladoga & Saima degentes, Hanseaticisque gratos, jam tum a no-

stratis captos & venditos fuisse credas; neque fructus
 rei pecuariæ, caro nimicum, butyrum & lardum, item
 piscaturæ proventus 23) a mercatoribus contemnebantur.
 Quæ vero ab OLAO MAGNO de propria Fennorum mer-
 catura enarrantur, eos scilicet florenti urbis Visbyæ ætate
 in iis fuisse gentibus, quæ navibus suis mercenariis ibi
 appulerunt 24), si omnino attentione sint digna, certe
 non ad ea tempora referri possunt, de quibus nobis est
 fermo; ejusmodi namque negotiatio majorem exigit cul-
 turæ gradum, quam quæ in populo, imperii forma or-
 dinatim composita adhuc destituto, quæratur. — Carelios
 re pecuaria, venatu & piscatura in ista ætate maxime fu-
 isse occupatos, & ex iisdem victum sibi comparasse, e
 præcedentibus jam colligat benevolus lector; neque tam-
 men agriculturam inde ignotam vel contemptam iis fuisse,
 e Mythologia eorum colligas, ubi scilicet certa occurunt
 numina, singulis frugibus & oleribus 25) præfecta. De
 vitæ genere autem & de conditione domestica nostratum
 seorsim disserere, supervacaneum arbitramur, quum
 cæteris Fennis parum dissimiles fuisse videantur, eorum-
 que omnium mores a Cel. PORTHAN plene & accurate
 jam examinati expositique sint 26).

1) Sartorius Geschichte des Hanseatischen Bundes, Th. I, S. 189 ff.

2) Sartor. I. 197.

3) SAXONIS GRAMM. Hist. Dan. ed. Stephanus L. XIV p. 271.
 Cfr. KARAMS Ист. Росс. Ч. III, стр. 207.

4) DREYERI Specim. p. 60: "Ruteni, Goti, Normanni &
 cetere gentes orientales, absque theloneo & absque hausa,
 ad civitatem sepius dictam (Lubecam scilicet) veniant &
 recedant".

5) Cfr. Lehrberg, S. 257.

6)

- 6) DREYERI Spec. p. 176.
- 7) Sartor. I, 197.
- 8) Ejus mentio fit in carminibus vetustis Fennicis: Cfr. Schröters finnische Runen, S. 86, B. 21. Linteum in Germania textum magna copia in Aquilonem fuisse evectum testatur quoque Cel. SARTORIUS I, 317.
- 9) Sartor. I, 320. Neque tamen inde oppugnare volumus sententiam ab III. KARAMSIN (Ч. III, cmp. 205) prolatam, ubi contendit eandem mercem in Tauride quoque a Russis fuisse emtam.
- 10) Wiikon wiwyn Wiipuriessa,
Kauvan Suola = laumpungissa.
Schröters Finn. Runen, S. 112.
- 11) RÜHS Finld. Svensk öfv. I, p. 7.
- 12) PORTHAN Sylloge Monumentorum p. 31 sqq.
- 13) l. c. p. 42 sqq.
- 14) l. c. p. 17 sq. p. 22 sqq. p. 27 sqq.
- 15) Quæ namque a Präcl. GANANDER (Mythol. Fennica p. 31) antiquiorum inniso auctoritati afferuntur, Carelios scilicet a filio quodam Fornjoteri, cognomine Kare, originem ducere, nimis fabulosa esse arbitramur, quam quibus in historia tribuantur locus.
- 16) Ejusmodi exemplum prodit annus 1230: vid. I Нврп. cmp. 498 sq. II Нврп. 118 — 120. KARAMS. Ч. III, cmp(262 sq.
- 17) I Нврп. cmp. 602.
- 18) Syll. Monum. p. 30, nota 6.
- 19) DREYER l. c. p. 177.
- 20) Sartorius I, 202 u. 319.
- 21) Sart. II, S. 481, nota.

- 22) "Maxima horum animalium (castorum) abundantia est in
"Septentrionalibus aquis". OL. MAGN. L. XVIII C. V.
- 23) Antiquiore de proventibus Careliae teste destituti OLAVM
MAGNUM consulere debemus; ab eo salmones, percæ, tru-
tæ, gobiones iis annumerantur piscibus, quibus abundavit
olim Carelia. Cfr. Lib. XX, Cap. XIX & XXVIII. At
tilorum copia tum certe æque ac nunc gavisa est. Num
haleces olim in mari Baltico & sinu Botnico repertæ, (OL.
MAGN. Lib. XX. Cap. XXIX. Rühs Gesch. Schwed. III,
C. 61), etiam in Fennico captæ fuerint, incompertum
nobis habemus.
- 24) l. c. Lib. II: Cap. XXIV.
- 25) Reðte quidem contendit Cel. Rühs (Fld. och dess Inv. I,
s. 21 och 44) quædam olerum genera, e. c. crambæ (Fenn.
kaali, Svet. kål) cannabin (hamppu, hampa) linum (liina,
lin) denominatione sua Svecicam prodere originem; quod
vero inde colligendum esse putat, eadem post^{*} occupatam
Fenniam demum majoribus nostris innotuisse, saltim de
lino & cannabi urgeri non posse existimaverim; nostrates
scilicet unde tam perfæcte ediscere potuerint artem textu-
riam, quam e lingua eorum, vocabulis ad eandem perti-
nentibus, locupletissima appareat (cfr. PORTH. ad Juust. p. 66),
nisi materia texendo idonea prædicti fuerint. Qui vero la-
nam solam in arte hacce excolenda adhibitat putaret,
mox copia denominationum, diversa lintei genera signifi-
cantium de contrario convinceretur.
- 26) PORTH. ad Juust. p. 58 sqq.